

de Morte Cujusdam iis devoti. 3°. *E Sermone Nicolai de Dünckelspühl habito Viennae in ecclesia beati Stephani*, quo probatur in Missa Praesantificatorum feria 6. Parasceves Sacerdotem sumere Eucharistiam sub una duntaxat specie; vinum vero immissa in calicem particula non converti in sanguinem. 4°. Contra usum in Ecclesiis suspendendi *banneria, clipeos et galeas cum alijs instrumentis bellicosus*. Videmus enim manifeste cum iam nobiles et curiales ingrediuntur ecclesias et vident arma, statim se ad ea conuertunt et discutiunt per singula facientes de hijs confabulaciones plurimas &c. Item contra frequentes in Ecclesiis Sepulturas. Locus totus lectu dignus. 5°. *Contra illos qui de vsuris et alijs rebus male acquisitis ecclesias edificant.* &c.

## DCLXII.

481 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. bohem. Sec.

*Quedam longauis non inscius et breuius,*

ut ipse ait in Prooemio fol. 6. edit. Argent. per Joan. Knoblauch 1518. 4. *Quetiso, Caveo et Fabricio ignota*, quae mihi objacet. Est illa prolixo instructa Commentario, cujus Autor ita non est Adamus ille Metrifex, ut ne quidem de Adamo aliquid compertum habuisse videatur. Postquam enim fol. 2. dixisset, *Raymundum ipsum esse Compilatorem hujus Summulae*, subjungit: *Sed aliqui alij dicunt quod Raymundus hanc sum-*

XIV. et XV. Folior. 260. 4. calamo currente et diverso perscriptus complectitur Sequentia: I. Sine Titulo Commentaria in *Summam Pauperum*, Sec. XIV. in membr. usque ad fol. 45. deinceps in charta exarata. Est vero *Summa Pauperum* alio nomine *Summa* vel *Summula Raymundi*, vel ad nomen istud adludendo *Radius Mundi* Compendium Metricum *Summae de Poenitentia et Matrimonio Raymundi de Peniaforti Barcinonens.* O. P. noti illius sub Gregorio IX. *Decretalium* Compilatoris, an. 1275. defuncti. Verificatorem hujus Compendii *Quetifus* et *Echardus* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 734. et T. II. p. 821. statuunt e fide *Cod. ms.* et editionis *Parif.* 1494. 4. Fratrem quendam *Adamum Teutonem* sui ordinis, qui tamen Poetarum usus privilegio et ordinem *Summae Raymundinae* invertit, et quaedam de suo addidit.

*mulam non fecit, sed fecit quandam magnam summam prosaicam. ex qua quidam versificator hanc summulam extraxit.* E quo et illud inferre licet, *Adamum* diu ante Commentatorem vixisse, et fortasse ipso *Raymundi* Seculo. Id quod et *Codex* noster Sec. XIV. scriptus confirmat. Est vero *Commentarius*, quem is exhibet, prorsus ab edito, de quo haecenus diximus, diversus, ut adeo *Summa Pauperum* duplici expositione gaudeat,

2513

C A S U I S T I C I.

2514

deat, quod a nemine observatum memini. Prooemium illi praemissum incipit: *Sicut dicit phylozophus in primo ethycoreum, quod unaqueque virtus in proprijs operationibus deletatur &c.* Inter alia mox: *magister Reymundus frater ordinis predicatorum — hunc librum composuit ad informacionem eorum qui complete scientiam de iure non possunt habere.* Quam parum vero et iste commentator rerum suarum certus fuerit, liquet

e sequentibus: *De causa efficiente dubitatur. quidam dicunt quod fuerit quidam versificator et iurisperitus qui noluit nomen suum manifestare ut vitaret arroganciam. Sed alij dicunt et melius quod fuerit magister Reymundus de Anglia.* De quo Hispani viderint. Textum porro integrum *Summae* apud eum ne quaere. Initia tantum *Veruum*, in quos commentatur, adscribit, omisso insuper 14. *Veruum Praefamine*, unde principium a *veru*:

*In summis festis ad missam dicitur una &c.*

*Finis: Et completur hec summa iuris per raymundum edita pro pauperum iuvamine, ut habeant, quo se regere valeant. Pro cuius completionem summus opifex — sit benedictus in secula seculorum. Amen.*

II. fol. 73. sequitur manu Sec. XV. ut deinceps, in charta *Epistola beati Dionisij de morte sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ad Timoteum.* Meminit hujus *Epistolae Lambecius L. III. p. 68.* edit. *Kollar. col. 187.* item in *Diar. Itin. Cell. p. 270.* alibi autem, ut ait, de ea sententiam laturus. At diu est, quod de universis *Dionysio Areop.* tributis Scriptis sententiam tulerint Viri doctissimi, in quorum Scriptorum censum vix insuper venire audeat *Epistola* haec, cujus *περωτοτυπον* graecum in cassum quaeras, quaeque putidis fabellis scateat, puta de *Paulo* ante supplicium frontem et pectus cruce signante, de velo *Lemobiae Pauli Discipulae*, de

*Pauli* capite a Pastore quodam agnito, de *Fabellio* Romanorum Patriarcha &c. Dabo tamen ejus initium et finem: *Saluto te diuinum discipulum et filium spiritualis veri patris et boni amatoris, qui consummasti voluntatem magistri tui &c. Et sciuerunt quod caput erat pauli immaculati qui fuit seruus et apostolus domini nostri iesu cbristi, cui detur gloria et laus — in secula seculorum. Amen.* Tria diversis Codicibus Exempla in *Bibl. Caesarea* servantur, nec tamen ejus mentionem apud *Fabric. Caveum, Oudinum*, alios inuenio.

III. fol. 75. *Epistola*, ut e calce praecoccupo, *Clementis ad Jacobum fratrem domini.* Cum praecedens *Epistola* unice fere de morte *Pauli* agat, quidni adjungatur illi alia, quae *Petri* veluti Testamentum exhibeat. At haec saltem in publicum nota est, legiturque saepius edita, et nominatim unicum Exemplo graeco T. I. *PP. Apostolic. I. B. Cotelerii, Antwerp.*

A 3

(Amste-

(Amstelod.) 1698. p. 605. f. Initium nobis: *Clemens Jacobo domino et episcopo episcoporum — Notum tibi facio domine, Quia Simon Petrus, qui vere fidei merito et integre predicationis obtentu &c. Itaque versio Rufini est, quae l. cit. p. 611. alteram ad graecum  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\upsilon\pi\omicron\nu$  exactiorem sequitur.*

IV. fol. 79. p. 2. Homiletica quaedam in *Capite Iejunii, Feria Cinerum et Fer. VI. in Iejunio.* Nullius momenti.

V. fol. 82. *Tractatus Magistri Jacobi de misa alias de Strziebrow contra doctorem (Andr.) Brodam de Communionem utriusque speciei.* Initium: *Praemissis positione scolastica et tractatulo, in quo sanctorum antiquorum auctoritates &c.* Edidit ex eodem hoc Codice Cl. *Herm. von der Hardt Afor. Conc. Constant. T. III. P. 16. p. 416.* tanquam pertinentem ad an. 1415.

VI. fol. 163. p. 2. *Litera dominorum Bohemorum et moravorum ad constanciensem Synodum directa dolens de morte Magistri Job. Hus et Magistri Ieronimi.* Extat haec Epistola, quam dentatam vocat *Zach. Theobaldus*, in *Opp. Job. Hussi* edit. 1715. P. I. p. 98. hoc initio: *Sane quia iure naturali et diuino cuilibet iubetur alii facere, quod sibi uult fieri &c.* et data ibi legitur: *Sternberg Anno Domini MCCCCXV. die et festo sancti Wenceslai, i. e. 28. Septembr.* Additur tamen in margine: *Alias: Datum Praga 1415. die 2. Septembris in pleno Concilio Magnatum, Baronum, Procerum et Nobilium Regni Bohemiae et*

*Marchionatus Moraviae nostrorum sub appensione sigillorum.* Atque haec totidem verbis ad calcem *Epistolae* habet Exemplar nostrum confirmatque *Laur. Brzezina* in *Diar. Belli Hussit. L. III. in Reliq. Mss. J. Pet. Ludewig. T. VI. p. 136.* ut adeo *Sternberga* et dies *Wenceslai*, nescio unde, obreperit operum *Hussi* Editoribus, nisi dicas, minoris Nobilitatis Conuentum *Sternbergae* ad eam diem actum adprobasse eandem *Epistolam*, et Sigillis suis munivisse; recitant enim Editores 54. Nominum Catalogum, quae *Epistolae* subscripta fuisse dicunt, quaeque non nisi Equitum, et inferioris subsellii Nobilium videntur. At vero Exemplar nostrum longam Seriem Primorum Regni et Marchionatus Procerum praetextam habet, quam et *Theobaldi c. 21. p. 53.* paucis demtis videas; *Bawor* enim de *potenstein*, *Job. Puffka* de *Cunstat*, *Wokko* de *Holstein*, *Milota* de *Krawarz*, *Puota* de *Czastolowicz*, *Wilb.* de *Potenstein*, *Arnest.* de *Richmburg*, *Petr.* de *Zwierzieticz*, *Gunram.* *Dubrawka* de *Dubrawicz* ei omituntur. Praeterea pro *Sigism. et Milota* fratribus de *Krzizanow* interpres ejus latinus *Jac. Pontanus Heidelb.* corrupte, ut videtur, scribit *Sigismundi Milotaei Bacizanczovii fratres.* Denique, cum Bohemica Nomina graece latineve reddere saepiuscule adfectet, quasdam ejus adpellationes e praesenti Serie patriae linguae reddam:

Lac-

2517

C A S U I S T I C I .

2518

*Lacceus*, *Laczko*. *Boziecus*, *Boczko*. *Johannes*, *Hanulsius*. *Mensa Regni*, *Czuda*. *Tubaeus*, *de Duba*. *Pocznaeus*, *de Opoczna*. *Wanecius*, *Vanko*. *Nigromontanus*, *de Czernahora*. *Aleschus*, *Alfso*. *Senilius*, *Smilo*. *Hiniecius*, *Hinko*. *Rosaeuallensis*, *Rozmital*. *Sdeniecus*, *Zdenko*. *Cuniecius*, *Kunika*. *Stricilecius*, *Stralek*. Praeter ea, quae ipsemet exponit: *Speculaemontanus*, *Wartemberg*, *Arctolithius*, *Bernstein*, *Stellaemontanus*, *Sternberg*, *Facemontanus*, *Lichtemberg*, *Choralithius*, *Landstein*, et *Hylolithius*, *Waldstein*.

VII. fol. 165. *Tractatus Magistri Jacobi de Misa Theologi profundi de Existentia vera corporis christi in sacramento altaris catholice (non plane) conscriptus*. Initium: *Utrum ex fundamento scripture sacre &c.* Iam indicatus, ut *Index* docet. Ad calcem: *In Die Rogationum A. D. MCCCCLII.* id est, descriptus.

VIII. fol. 181. p. 2. *Purgatorium animarum vniuersalis ponit Ecclesia et Sancti doctores nullo contradicente. in sacra scriptura se veraciter fundantes*. Initium: *Quia caritate refrigescente et iniquitate superhabundante istis in temporibus periculosis &c.* Pertractatis notis in hac materia argumentis concludit ignotus Scriptor: *Postremo hoc ponimus et protestamur quod nullum ritum nullam consuetudinem ex pompa plebis uel auaricia sacerdotum ortam volumus releuare aut quouis modo approbare &c.* Alius quidam, ut videtur, *Auctori-*

*tates Sanctorum ad idem* adjecit, quas inter reperias *Doctoris Evangelici (Wicleffi)* locum ex libro suo de *Ecclesia et de Ciuili Dominio*. Ita miscebantur omnia.

IX. fol. 185. *Magistri Jacobelli de Iuramento*. Tractatio brevis exponens, quando licitum sit iuramentum, hoc initio: *Pollicia bene reſta est ordo principantis uel principancium super subditorum bona temporalia propter bonum alicuius communitatis. &c.* paene tota e PP. *Diſtis* consarcinata.

X. fol. 189. *Incipit tractatus de corpore christi collectus per Magistrum Hus*. Initium: *Impugnantiſſibus circa sacramentum dominici corporis veritatem infallibilem &c.* Extat Opp. *Huffi* edit. 1715. P. I. p. 202. nobis ita subnotatus: *Explicit tractatus de corpore christi collectus per reuerendiſſimum Magistrum Johannem de buſynecz Anno Domini M<sup>o</sup>. CCCCXIII<sup>o</sup>. feria VI. post festum Wenceslai.* Aliter *Cod. CCLI.* quem confer.

XI. fol. 196. *Incipit determinacio Magistri bus de Sanguine ihesu christi*. Initium: *Utrum christus omnem sanguinem qui de corpore suo effluxit &c.* Extat in Opp. mox cit. P. I. p. 191. et nobis saepius.

XII. fol. 209. *Sermo ad Clerum de festo natiuitatis christi quem fecit et predicauit Reuerendus Magister Johannes prziham in ecclesia Sancti Egidij*. Hujus enim Rector erat. Initium: *Locuturus in hac alma Congregatione virorum sapientum mens mea in diuersa rapitur*

*pitur &c.* Si Exordium demas, in quo sui abjiciendi finem non facit, bonae frugis plena est oratio in illud: *Transeamus et videamus hoc uerbum quod factum est &c.* Luc. 2. Nihil de ea *Balbinus* in *Bob. docta*, et *Voigtius*, qui *Vol. I. Act. Liter.* p. 377. Acta Viri collegit. Habita est, ut ad calcem notatur, anno XLIII. quo nempe *Przibramius* jam Ecclesiae Rom. reconciliatus fuit.

XIII. fol. 229. *De Intercessione Sanctorum et invocatione eorum Scripture doctorum catholice hic ponuntur.* Initium tamen a f. Literis. *Sancti nobis suffragantur et nos iuuant, primo beneficiis &c.* Si fuit unquam tempus, quo PP. Scripta solerter excuterentur, certe fuit id hoc aevo in *Bobemia*. Id quod non sine admiratione deprehendet, quisquis superstites utriusque Partis lucubrationes vel obiter inspexerit.

XIV. fol. 233. *Articuli principales de passione christi &c.* Sunt numero XLVI. quorum cuiuslibet subiectum est *Documentum*. Primus est *Timor* in Monte Oliveti, alter *Sudor sanguineus*, tertius *Vendicio* — ultimus *Sepultura*. Initium: *Dominus ihesus diligenter est inspiciendus a christianis et efficaciter imitandus &c.* Ignoti sed non inepti Autoris.

XV. fol. 245. Excerpta e Libro de *Similitudinibus Anselmo* tributis, spuria Epistola *Clementis Rom. ad Jacobum Apost.* *Hieronymo*, *Augustino*, *Bernardo*, *Origene*, *Rob. Holcot*, *Joh. Chrysostomo*, *Beda*, *Hugone Victor.* de va-

riis materiis tractatibus Academicis, ut videtur, destinata; alicubi enim in margine notatur: *Valebit pro scola, vel scolasticis.*

XVI. fol. 248. p. 2. *Vtrum corpus christi in sacramento sit adorandum.* Initium: *Quod sic. Quia corpus domini ihesu christi saluatoris quod est templum deitatis &c.* Inter alia PP. loca jam utitur Textu illo *Ambrosii L. III. de Spir. S. c. 11.* edit. *Maur. Paris.* 1690. col. 681. Noster: *Caro Christi quam hodieque in mysteriis adoramus*, quem tardius a *Bellarmino* et *Card. Perronio* adlatum alio divertere conati sunt *Mornaes* et *Edm. Albertinus*. Vide, quae ibi notant *Mauriani Editores*.

XVII. fol. 250. Locus e *Wicleffi* Libro de *Veritate s. Scripturae* circa proprietates *Homini*, propter quas dicitur minor *Mundus*, cuius initium: *Notandum quod licet figuratiue loqui de homine et aliis creaturis pro loco et tempore ad instar Scripture &c.*

XVIII. fol. 251. *Prologus Ieronimi sacerdotis in Paralipomenon declaratus.* Est Prologus ille ad *Chromatium*, qui incipit: *Si septuaginta Interpretum pura &c.* Declaratio vero est *F. Guil. Britonis* O. M. prout in *Bibliis Glosat.* prostat.

XIX. fol. 252. Epistolae binae *Joh. Hussi* scriptae e carcere *Constantiensi*. Primae praemittitur: *Hec Magister Hus per manum suam scripsit ad Pragenses.* Est inter editas *P. I. Opp.* saepe cit. p. 82. numero XXI. et incipit: *Generosissimi benefactores mei et veritatis*

ritatis protectores. Hortor vos &c. Altera inter editas p. 80. numero XVIII. ita orditur: *Honorabiles in christo ihesu amantiissimi Magistri Baccalarii et scolares vniuersitatis Pragen. hortor vos in ipso piissimo ihesu &c. Nihil abludit Codex ab Editis.*

XIX. fol. 253. Epistola ad Job. Rokyczanam, hoc praefamine: *Quidam doctor in concilio basilienfi scribit occulte Magistro Johanni Rokyciane qui tunc in concilio traſtabat alium (illum?) articulum de communione calicis sacramenti et cuidam doctori (Joh. de Ragufio O. P.) in conspectu Concilii replicabat anno domini M<sup>o</sup> 433. Ipsa porro Epistola sic: Egregie magister. mitto vobis certas ymaginaciones meas circa materiam articuli vestri quas saltem semel perfunctorie quanto ocius ad finem usque perlegere placeat queso amore sanguinis domini quem quasi mortuum ymo pene sepultum resuscitare satagitis. Nolle se docere Virum doctissimum, sed hortari ad viriliter agendum pro veritate, et coercendos Suos, ut crudelitate seposita parcant humano sanguini. O felicem diem si viderem illesa fide nobis unitum regnum vestrum! Rogat, ut tegat Scripta sua, nec curet, quis miserit. Qualescunque sumus, dei sumus. Hoc vnum scitote quod amator veritatis sum. — Spero ante discessum vestrum uos saltem semel uel bis audiam. Concludit: Doleo deus scit quod nolumus intelligere ut bene agamus, fateorque graue foret ita simpliciter aquiescere, sed grauius*

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

*est agnitam veritatem rei tam necessarie non suscipere. Non inuenio, quis Nicodemus hic fuerit.*

XX. fol. 253. p. 2. *Ista est propositio que in scriptis oblata est per Magistrum Jo. Przibram Serenissimo principi domino Sigismundo et dominis Consulibus in pretorio in Congregatione magna magistrorum et totius cleri, que per ipsum dominum principem et Dominos consules ulterius oblata est Magistro petro Anglico dicto payne Quatenus ipse profiteretur fidem suam de venerabili sacramento eucharistie coram predictis dominis magistrisque et tota congregatione cleri ibidem presentibus ita dicendo. Sequuntur igitur Articuli VII. Ecclesiae Rom. Cath. de reali Praesentia Christi in Sacramento, adoratione illi debita, Accidentibus sine Subiecto &c. hoc initio: Confiteor pura et simplici fide, credo et fideli corde sine omni dolo et ore tenendum et credendum assero &c. Additur in fine: noluisse M. Petrum vel in dicto Conuentu, vel postea coram duobus et quatuor datis Arbitris ex hac Formula profiteri, ideoque habendum de malo suspectum, donec pareat Christo monenti, qui me confessus fuerit coram hominibus &c. Haec omnia deinceps lingua Bohemica iterantur. Duplex memoratur Nostri cum Petro Payne congressus, annis videlicet 1427. et 29. Confer *Adauſi Voigt Aſ. Liter. Boh. et Morav. Vol. I. p. 383. et Cochlaei Hist. Hussit. L. VI. p. 230.**

B

XXI

2523

## C O D I C E S

2524

XXI. fol. 256. Sermo de Christi Adventu in illud Genes. c. 45. *Pro salute vestra misit me dominus in Aegyptum &c.* Initium: *Que verba possunt predicari de aduentu Christi. quia Ioseph significat Christum &c.* Exponuntur deinceps septem illae ab O. incipientes Antiphonae, quae totidem diebus ante Natalem Domini in Ecclesia cantantur.

XXII. fol. 257. p. 2. *Epistolam subscriptam Vniuersitas Pragensis post mortem Magistrorum venerabilium Magistri Iohannis Hus et Magistri Ieronimi de Praga ad diuersa Regna et provincias testimonium perhibens de vita ipsorum et conuersatione laudabili destinavit.* Extat inter Epistolas *Hussi* Opp. P. I. p. 103. numero LXV. Initium: *Uniuerſis ſanctae matris ecclesiae catholice filiis — Et si inter multas et arduas sollicitudines &c.* Data die XXIII. mensis Maij Anno domini MCCCCXVI.

XXIII. fol. 258. *Sententia Concilij Constantiens. lata primum contra M. Iohannem Wycleff et M. Hus et tandem contra M. Ieronimum de praga.* Extat T. XVI. *Collect. Concil. Venet. col. 409.* hoc initio: *Christus deus et saluator noster vitis vera &c.* Lata die 30. Maij, a. 1416. qua et crematus Hieronymus. Exemplum nostrum male *Idus Iulij*, neque reſcius in fine post *anathematizatum* adtextit: *et ignis voragini finaliter comburendum. Et si quis eum in hijs et similibus velit excusare, simili pene subiacebit.*

XXIV. fol. 258. p. 2. *Litera subsequens est Regis Vngarie Sigismundi Responsua satisfacere volens illi quam scripserunt Barones Regni Boemie et Moraue ad Constanciam dolentes de combustione Magistrorum Iohannis Hus et Ieronimi.* Epistolam illam N. VI. hujus Cod. indicavimus. Praefens sermone *Bobemico* conscripta est: *My Sigmund bozy milosti Rymſky Kral &c.* Latinam produxit jam *Cochlaeus* saepe cit. L. IV. p. 155. qui tamen ipse conjicit *bobemice* exaratam fuisse.

## DCLXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 843 XV. Folior. 251. 8. quorum tamen multa vacua, non una manu exaratus varia hoc ordine complectitur: I. *Collectanea homiletica* varia, dein de *Matrimonio*, de *Poenitentia*, de *Confessione*, et speciebus *Peccatorum* cum *Formula* se de his accusandi.

II. fol. 51. *Explanationem Decalogi*, cujus hic ingressus: *Cum secundum veritatis testimonium Math. 19. ad ingressionem in patriam sufficit et requiritur mandatorum seruancia — Vnde quidam considerantes quod christus et sui apostoli fidem scripture in linguis varijs conscripserunt, doctrinam decalogi tam in lingua latina quam Boemica diuerso scemate diuersis hominibus collegerunt &c.* Haec *Joh. Hussi* aut alicujus illius adſeculae esse probabile faciunt fensa plura, quae iisdem verbis et in hoc Codice, et T. I. Opp. *Hussi* edit.